DE

XENOPHONTIS CYROPAEDIAE
INTERPOLATIONIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
D. XXVIII. M. IULI A. MDCCCLXXIV.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS LINCKE
THURINGUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:
TH. GLEINIGER, DR. PHIL.
G. HINRICHS, STUD. PHIL.
H. PATZIG, STUD. PHIL.

BEROLINI, MDCCCLXXIV.

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORI

SACRUM.

Xenophontis scripta ut fere omnia et tota ita male tradita nobis sunt. neque enim solum propter lectorum adsiduitatem interpolationibus deformata et temptaminibus conferta sunt, sed intermixta etiam talia opera habent qualia Xenophontis ingenio aut aliena aut indigna esse constat. quam condicionem non aliam pridem fuisse ac nunc negari non potest, quia Cicero et Oeconomici qui dicitur interpolamenta eadem legit quae nos quoque invenimus et Agesilaum credidit esse vel maxime Xenophonteum. ac praeiudicium per hoc quod dixi fieri nequit de eis Cyropaediae locis quos non germanos censere certum est. sed pace Cobeti, viri acutissimi et eruditissimi, qui prae ceteris integriorem eum librum iudicavit ad nos pervenisse, dixerim sperare me fore ut quod de ceteris libris valere non nescivit idem cadere in Cyropaediam adsentiatur.

L. I c. 1 §. 4 leguntur de Cyro haec: *καὶ γάρ τοι τοσοῦτον διήνεγκε τῶν ἄλλων βασιλέων, καὶ τῶν πατρίους ἀρχὰς παρειληφότων καὶ τῶν δι' ἑαυτῶν κτησαμένων, ὥσθ' ὁ μὲν Σκύθης καίπερ παμπόλλων ὄντων Σκυθῶν ἄλλου μὲν οὐδενὸς δύναιτ' ἂν ἔθνους ἐπάρξαι, ἀγαπῴη δ' ἂν εἰ τοῦ ἑαυτοῦ ἔθνους ἄρχων διαγένοιτο, καὶ ὁ Θρᾷξ Θρᾳκῶν καὶ ὁ Ἰλλυριὸς Ἰλλυριῶν, καὶ τἄλλα δὲ ὡσαύτως ἔθνη ἀκούομεν· τὰ γοῦν ἐν τῇ Εὐρώπῃ ἔτι καὶ νῦν αὐτόνομα εἶναι λέγεται καὶ λελύσθαι ἀπ' ἀλλήλων· Κῦρος δὲ παραλαβὼν ὡσαύτως οὕτω καὶ τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔθνη αὐτόνομα ὄντα ὁρμηθεὶς σὺν ὀλίγῃ Περσῶν στρατιᾷ ἑκόντων μὲν ἡγήσατο Μήδων, ἑκόντων δὲ Ὑρκανίων, κατεστρέψατο δὲ Σύρους, Ἀσσυρίους, Ἀραβίους, Καππαδόκας, Φρύγας ἀμφοτέρους, Λυδούς, Κᾶρας, Φοίνικας, Βαβυλωνίους, ἦρξε δὲ Βακτρίων καὶ Ἰνδῶν καὶ Κιλίκων, ὡσαύτως δὲ Σακῶν καὶ Παφλαγόνων καὶ Μαγαδιδῶν, καὶ ἄλλων δὲ παμπόλλων ἐθνῶν, ὧν οὐδ' ἂν τὰ ὀνόματα*

ἔχοι τις εἰπεῖν, ἐπῆρξε δὲ καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, καταβὰς δ' ἐπὶ θάλατταν καὶ Κυπρίων καὶ Αἰγυπτίων. ad varietatem lectionis quod adtinet illico monendum hoc unum est quod in cod. Guelf. ὅσα additum est ante ἀκούομεν.

Horum verborum conformatio quam difficilis habeat explicatus, et Stephanus et Schneiderus antequam tollerent difficultates professi sunt. ac Stephanus, quoniam verba καὶ τἄλλα δὲ ὡσαύτως ἔθνη ἀκούομεν infinitivus deficit, cum circumspiceret superiora, talem inde quo oratio inpleretur peti posse negavit: nam non modo ἐπάρξαι sed ne ἀγαπᾶν quidem arcessendum esse, ut quod non intellegeretur nisi multa ei adiciendo, ut εἰ ἰδίους ἄρχοντας ἔχοι aut quod ille malebat ἴδιον ἕκαστον ἄρχοντα ἔχειν. confugit postremo ad Philelphum: quem optime dicit vertisse perinde ac si legerit καὶ περὶ τῶν ἄλλων δὲ ὡσαύτως ἐθνῶν ἀκούομεν. Poppo autem sententiam sic supplevit: ἀγαπῷεν ἂν (τὰ ἔθνη) εἰ ἑαυτῶν ἄρχοντες διαγένοιντο, et Fischerus qui ὅσα recepit ἔχει ad ὡσαύτως non gravatus adglutinavit. voluit enim intellegi haec: 'atque adeo ceterarum gentium de quibus fando aliquid accipimus eadem est conditio, ut quaeque a suo regatur rege, qui se felicem putet si suam gentem regere possit.' itaque quae Stephanus ad ἀγαπῆσαι ἂν adici noluit adiecta sunt. Philelphi tamen quod admovit auxilium vereor ut satisfacturum sit severius anquirenti. ὅσα autem inseri minoris interest ad constructionem sustinendam.

Sed rationem difficultatis quae eis verbis insidet, si exsequi lubet, videmus esse hanc: scriptor cum exorsus dicere de regibus detorserit enuntiatum ad populos, per ὡσαύτως necesse est pares atque similis utrosque aliqua in re iudicarit, dixit autem ita ut qua in re similes fuerint non liqueat. nam reges Scytharum Thracum et Illyriorum facile intellegimus aliis populis imperitare non potuisse sed contentos et satis occupatos fuisse sui quemque populi imperio obtinendo. populi autem quod eadem condicione fuerint sane miramur, eadem inquam condicione regendi suum cuiusque populum (τὸ ἑαυτοῦ ἔθνος). quare illa 'statt der herrscher werden hier die völker genannt insofern mit dem siegreichen herrscher gleichsam auch sein volk über die bezwungenen völker herrscht' incassum dicta sunt

qui enim ea pronuntiavit Breitenbachius, qualem infinitivum ad ἀκούομεν putet pertinere ex proximis non dispicio. sin autem nullum indagaveris qui confirmet sententiam aliquam, manca et incohata oratio videbitur esse, quam Hertlinus accepit quasi nullo negotio.

Quoniam autem non tam agitur de similitudine populis intercedente cum regibus quam de regum et Cyri diversitate, ne hoc quidem ipsum adparet qua permotus re X. reges mutarit populis nescio quibus adferendis. certe si idem ac de regibus illis narrari memorandum duxisset de reliquis quoque imperia tenentibus, consentaneum fuisset ambages aspernatum sic fere eum pergere: *καὶ τοὺς ἄλλους ὡσαύτως βασιλεῖς ἀκούομεν* vel *τυράννους* vel *δυνάστας*. quin oportuit. etenim instituta Cyri et regum contentione quod deerravit animo scriptor ad populos nescio quos, habet id quiddam inconditi atque turbati: quod abesse nimirum a Xenophonte clamant. est autem hoc. conferuntur singulorum inter se hominum, regum et Cyri, naturae et facultates: his populorum mores X. admiscuerit? quorum ut fingi possit aliquam regnandi fuisse scientiam et usum, verbis tamen eius mentio nulla fit.

Neque omnino designari reliqui isti populi possunt, quomodo hic se habeant. quid enim? reges illos aliorum libertati minus invidisse quis est quin credat? causae, quibus conmoti cupidine finium proferendorum abstinuerint, luculentae; res vel per se clara. quid autem populis cum hac re? reliqui praeter tres illos num et ipsi putandi sunt imperio alios regere non potuisse? an suo contenti fuisse in se ipsos exigendo? quid? quod secuntur statim haec: *τὰ γοῦν ἐν τῇ Εὐρώπῃ ἔτι καὶ νῦν αὐτόνομα εἶναι λέγεται καὶ λελύσθαι ἀπ' ἀλλήλων*? iam errat oratio devio itinere: decernat aliquis, in Asia simus an in Europa. quodsi Scythae Thraces Illyrii nominantur una, quis cogitaverit de Scythis Asiaticis, quis de Bithynis? at verba *τὰ γοῦν ἐν τῇ Εὐρώπῃ* quasi demonstrant fuisse quosdam etiam Asiae populos iuxta degentes atque Europaeos. non praetervolavit hoc Schneiderus, qui non solum codicum varietates minime vetustorum sed etiam verborum rationes pensitabat.

quare ubicunque ille ait dubium moveri, licet de remedio adhibendo aliter statuatur, opus tamen sanato esse vix negaveris.

Dicis causa Schneiderus re qualis erat desperata — id quod animum advertendum est — sensum loci ita fortasse dicit constitui posse: ‘nominis Scythici Thracici et Illyrici gentes diversae fere omnes detrectant alterius gentis imperium, tam illae quae per Asiam dispersae vivunt, quam quae Europam incolunt. certe Europaeae gentes barbarae pleraeque omnes liberae ab imperio alieno suis quaeque legibus vivere dicuntur.’ quae ut videantur ita enuntiata esse posse, interpunctione mutata sic legi voluit: (-*Ἰλλυριῶν·*) *καὶ τἆλλα δὲ ἔθνη ὡσαύτως, ὅσα ἀκούομεν, τὰ γοῦν ἐν τῇ Εὐρώπῃ, ἔτι καὶ νῦν κτἑ.*

Atque illud persensit vir doctissimus et demonstravit, cum superioribus *καὶ τἆλλα δὲ ἔθνη κτἑ.* coniungenda non esse. neque erat reapse cur *γοῦν* ‘in media oratione’ posita valde displiceret Popponi: nam itidem est Plat. Phaedr. p. 236 A. praestabat potius illud reprehendere quod Schneiderus ea particula sic usus est quasi conlocata sit ante *καὶ τἆλλα:* quare factum videlicet est ut quod edissertum est de populis Europaeis idem etiam in Asiaticos videatur valere. atqui hoc ipsum in animo Schneiderus habebat. loquitur ille non de regibus Scytharum reliquorumque sed de nominis Scythici et aliorum gentibus, addidit de suo ‘diversas’, ‘barbaras’, ‘fere omnes’ et ‘pleraeque omnes’: quo facilius, credo, propriae illae nationes ad universi cuiusdam, ne dicam omnigeni, vulgi infinitates adauctae qua Asiae qua Europae adtribuerentur. huic itaque Schneideri incepto non successit. Dindorfii autem medela ratione indiget. nam si *λέγεται* non fuisset — id enim ille uncis saepsit ed. Lips. — nemo futurus erat qui requirens adscriberet.

Iam vero si largiamur tale aliquid quale Schneiderus proposuit potuisse dici et debere ex verbis cognosci, ecquid lucrabimur? quod Scythae aliique, sive ei qui Asiam sive qui Europam incolebant, detrectaverunt alterius gentis imperium: si ea de causa X. etiamtum cum haec scripsit sui iuris esse Europaeas certe gentes barbaras plerasque omnes fama perceperat et auditione, viderint peritiores quid tam incerta conclusione faciant; alienam esse ab huius loci sententia non dubito. absurdam cen-

sebo si sequaris lectionem Dindorfii: qua, quoniam ὡσαύτως pertinet ad αὐτόνομα (εἶναι), id videbitur effici ut populorum quorundam certe quidem Europaeorum libertas simillima existimetur eorum quos Scythae Thraces Illyrii subigere non potuerunt. quid igitur? καὶ τἄλλα δὲ ὡσαύτως ἔθνη ἀκούομεν utrum coniungenda cum proximis an distinenda sunt? convenit neutrum. pertinent tamen et ad superiora et ad sequentia atque inducuntur, postquam haec legimus, nova sententiae specie. initio enim dicitur de regum facultate regnandi, mox de populis qui liberi ac sui iuris esse perhibebantur, non de populis, ut Schneiderus iudicat, βασιλευτοῖς et ἀβασιλευτοῖς.

Adcedit quod Cyrus dicitur παραλαβὼν ὡσαύτως οὕτω καὶ τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔθνη αὐτόνομα ὄντα. quae verba non uno nomine laborant. ac παραλαβὼν 'traditum accipiens', sicuti paullo ante παρειληφότων, esse non potest. quare 'inveniens' primus vertit Schneiderus. ignoro equidem quibus ille exemplis hoc firmaturus fuerit: certe quos alii conpararunt locos, eis non probatur abesse ab hoc verbo posse notionem capiendi accipiendive. velut Reip. Lac. 5, 2 Fischerus adtulit, Anab. VII, 7, 47 Passovius in v. sed nimium incommodi habitura esset significatio non sobrie mutata in hac potissimum contentione: in qua tantum abest ut verbo eidem plus semel posito varia et diversa adtribuenda esse persuadeas, ut cogamur eandem manere eius vim et naturam iudicare. praeterea quoniam ὡσαύτως facere non possumus quin coniungamus cum αὐτόνομα (ὄντα), male Asiaticorum populorum ante Cyrum libertas conmittitur cum ea qua etiamtum ferebatur uti Europaeos nescio quos. quid inde elicitur? sed piget concludere: ad inania deveniremus.

Reliqua est una ratio quam iniit Stephanus: parenthesin adtigit (τὰ γοῦν ἐν τῇ Εὐρώπῃ — ἀλλήλων). verum mediocriter a verbis instructa est. ea enim parenthesis est natura ut signa eius posuisse nihil valeat, nisi ipsorum verborum conformatione ea efficitur singulorum inter se coniunctio et disiunctio, quae signis illis ponendis tantummodo oculis inlustratur. Stephanus vero, qui τὰ γοῦν — ἀλλήλων interposita esse vellet, fateri coactus est, ὡσαύτως οὕτω - αὐτόνομα ὄντα referri ad illa ἔτι καὶ νῦν αὐτόνομα εἶναι λέγεται parenthesi una cum aliis inclusa.

Non satis idonea ubique, non similia veri; ubi primum inceperis verba excutere, dissolvuntur sententiaque universa apte non constituitur. velut singulare illud καὶ λελύσθαι ἀπ' ἀλλήλων quamvis, si verba audis, dilucidum videatur, inter cetera tamen sensu cassum est. aut enim, si interpretatur αὐτόνομα, cum inutiliter interpretetur, vagum est et supervacaneum, aut inest verbo λελύσθαι alicuius quondam consociationis vel coniunctionis opinio: qua quid utamur ad percipiendam sententiam non video. sin hoc voluisset X., populos illos dici a regibus liberos nec pendere alterum ab alterius imperio aut arbitrio, isto vocabulo, ut nusquam sic est apud X., ita ne hic quidem eum usum fore arbitror. nec quod oppositum esse συνεστηκότα ἐς ταὐτὸ (I 5 3) sane quam recte consentiunt, quidquam lucis huic loco adfertur.

Quodsi res esset nobis cum Thucydide, inculti neque habilis ad eius ingenium sermonis gravitas si detineret non mirarer. at hic de quo agimus locus cum aliis in libris Xenophontis nescio an nullum habeat sui similem, tum a stilo Cyropaediae perpolito et dicendi genere ad legendum facillimo abhorret. maxime vero illud mirum quod ipse X. existimandus erit contentionem perturbare voluisse cogitatam et perspicuam. namque ceteri reges, si a primis verbis, ut par est, proficiscimur, omnino dissimiles erant Cyri, tam ei qui paterna regna acceperant quam qui ipsi occupaverant. quare quoniam alius praeter hos duos ad regnum perveniendi modus nullus est: si perinde atque illos Cyrum imperio potitum esse negatur, restat ut eum egisse putemus ex parte contraria. nec inepte exemplis adlatis demonstratur alios sua sponte summam rerum ad eum detulisse alios vi esse subactos. igitur πατρίους ἀρχὰς παρειληφέναι et καταστρέψασθαι, δι' ἑαυτοῦ κτήσασθαι et ἑκόντων ἡγήσασθαι, haec sunt propria illa quibus reges et Cyrus differant. quae quam sint et inlustria et insignia vel sensu percipitur. nam quod structura eadem in verbis contra ponendis non interatur te non movebit. immo admiraberis elaboratam concinnitatem.

Hoc enimvero fateor contraria ea omne firmamentum in se ipsa, si verba premas, non habere. occurrit enim illud: si

Cyrus non solum patrem exceperit sed etiam Medos aliasque externas nationes suae dicionis fecerit, *δι' ἑαυτοῦ* occupatum eum regnum tenuisse. quod non est ita, eximique licet quod *δι' ἑαυτῶν* naturaliter habet ambigui. neque enim satius est adquiescere in regibus bifariam dispertiendis (sicuti fere est in Gorgia Platonis p. 492 B *οἷς ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρξεν ἢ βασιλέων υἱέσιν εἶναι ἢ αὐτοὺς τῇ φύσει ἱκανοὺς ἐκπορίσασθαι ἀρχήν τινα*), quam qua tandem re differre utrosque. iudicatum sit a Cyro quaerere. itaque cum *δι' ἑαυτῶν* postulet *δι' ἄλλων* quos aut significatos esse aut cogitandos necesse est, quinam ei sint ex ipsa structura verborum adparet videndum esse pone *Κῦρος δὲ*. ubi quoniam *κατεστρέψατο* refertur ad eos qui paternum imperium inierunt, restat id quod aptissimum est *ἑκόντων ἡγήσατο*. nam si *τῶν δι' ἑαυτῶν κτησαμένων* oppositum sibi habere ratus *τῶν πατρίους ἀρχὰς παρειληφότων* Cyrum et ipsum crederes ex illis esse: quorum is dissimillimus principio dictus erat, eorundem iudicaretur consimilis. quod absurdum est. — Adposite rursus ad rem declarandam X. adnotavit, etiamsi permulti fuerint barbari, tamen reges eorum suis rebus gerendis inpeditos atque adligatos ultra nihil potuisse. nam scite monet profectum Cyrum fuisse cum Persarum copiis exiguis. cf. Weisk. ad h. l.

Et haec quidem bene conparata sunt et a verbis et a sententia. de populis vero quorum post reges mentio nescio quo pacto fit quid futurum est? qui regum loco esse non possunt, nedum Cyri qui possint habere quidquam vel simile vel dissimile suspicione adtingam. atque quo cetera ut contraria inter se clariore in luce posita sunt, eo obscurior est ista quid sibi velit liberarum gentium turba. nempe erat nec sapientis hominis cogitatam animo contentionem contaminando infuscare, nec conprobantis post insignia regum exempla nationes producere easque admodum dubias.

Ac ne quis forte minus paullo subtiliter et concinne adiectas illas esse putet, velut infra non ei solum populi nominantur qui in Cyri dicionem aut ultro se dederunt aut redacti sunt sed enumerantur etiam alii quos subegit: qui convertat animum ad ea ipsa populorum nomina, facile qua in parte laborent ipse sibi persuadebit. credibile enim non est initio Xeno-

phontem gentes conmemoraturum per nomina fuisse quarum nec res narrare nec mentionem facere in animo fuerit: nisi librum nos habemus decurtatum. discrepat eiusmodi luxuries cum a ratione praefationum tum, seu fabulosa Cyropaedia sive historiae similior est, a simplici Xenophontis narrandi genere. quid? si videbitur inprudenter testes citare absentes aut promisso non stare, ipsine adsignemus? iam vero quas gentes aut volentes aut vi subactas in dicionem Cyri venisse principio dicitur, earundem res, si discesseris a Phoenicibus, per ipsum librum narrantur et describuntur; quarum autem praeterea adduntur nomina adiuncta verbis *ἦρξε* et *ἐπῆρξε*, eas subactas Cyro esse ex ipso libro non cognoscimus. etenim Bactrios aut Bactrianos docemur (V 1 3) in societatem vocatos esse regis Assyriorum, itemque Indos, quorum rex postea Cyro pecuniam, credo, suppeditavit (VI 2 1); Cilices Paphlagones Cyprii (VII 4 2. VIII 6 8) non fuerunt nisi socii; Sacae, quorum loco *Σκυθῶν* in libro quodam ms. legitur, non magis subiecti quam Cadusii (V 3 22); Graeci qui dicuntur maritimi, etsi tributum pendere et militare coacti, tamen intra muros liberi ut fuerant ita manebant. Magadidarum vero, siqui fuerunt, ne nomen quidem a X. usquam profertur. codices autem non hoc solum sed alii *Μαριανδινῶν*, alii *Μεγαδίνων*, alii *Βουδινῶν* praebent mire diversa. sed supersunt Aegyptii: quorum non videtur X. oblitus esse. habemus enim VIII 6 20 haec: *μετὰ δὲ ταῦτα ἡ εἰς Αἴγυπτον στρατεία λέγεται γενέσθαι καὶ καταστρέψασθαι Αἴγυπτον.* male haec excipiunt ea quae illic proxima sunt. postquam enim satis signate X. locutus est de maxima illa et postrema expeditione qua Cyrus omnis gentes usque ad mare rubrum subegit, claudicat quae sequitur belli Aegyptii conmemoratio incerta. neque infitior unice bonum mihi videri hunc narrationis cursum: *ὥρμα δὴ ταύτην τὴν στρατείαν ἐν ᾗ λέγεται καταστρέψασθαι πάντα τὰ ἔθνη ὅσα Συρίαν ἐκβάντι οἰκεῖ μέχρι ἐρυθρᾶς θαλάττης. τούτων δὲ* (v. § 21) *τὰ πέρατα τὰ μὲν διὰ θάλπος τὰ δὲ διὰ ψῦχος τὰ δὲ διὰ ὕδωρ τὰ δὲ διὰ ἀνυδρίαν δυσοίκητα.* nam *τούτων* (*δὲ τὰ πέρατα*) non potest conprehendere et mare rubrum Pontumque et Cyprum Aegyptum Aethiopiam. an est qui adseveret marium fines inhabitabilis fuisse vel caloris

vel frigoris causa vel propter aquam vel propter siccitatem? populorum eos fines fuisse tantummodo dici licuit. praeterea illud scripsisse ἡ εἰς Αἴγυπτον στρατεία λέγεται γενέσθαι καὶ καταστρέψασθαι Αἴγυπτον magna est neglegentia. permanet enim στρατεία subiectum etiam verbi καταστρέψασθαι, ubi Κῦρος λέγεται audiri nequit. cupiunt tamen audiri Bornemannus et Hertlinus exemplisque structuram, siqua est, fulcire conati sunt. quae non viderunt absimilia esse: eiusmodi enim sunt ut de personis aut partibus hominum duabus altera nominata sit, altera quae sit ex ipsa narratione resciscamus. nec commate iuvat uti ante καί, quo dimoveantur quae sane rustice contracta sunt. sed illud potissimum vituperamus quod primo docemur Aegyptum adiunctam esse ad Cyri imperium, mox adtigisse eius imperium maria Aethiopiam Cyprum et Aegyptum. iam expeditionem Cyri, de qua X. tria verba, mare rubrum subsistere potuit; credimus. tali autem ambitu non est ut illius regnum quod ad orientem erat terminasse videatur. quare cum Schneiderus dubius haesisset, ut ait ipse, ἐρυθρὰ θάλαττα qui posset intellegi, alii Oceanum Indicum alii sinus Persicum et Arabicum alii et Oceanum et sinum Arabicum esse praedicarunt. tantopere extensum nomen quasi ad arbitrium esse veri dissimile est Xenophontis aetate, nedum variatum uno eodemque loco ferri possit. haec igitur aliquis partim alucinatus partim mentitus est. sed ut vera sint, tamen cum ipso λέγεται parum congruit iudicium confidentissimum quod in prooemio est.

Frigere igitur ista nomina senseris. quid? si ne suppletam quidem esse adparebit eam, si Dis placet, enumerationem? quae ut valeret aliquid, nomina aequum erat cogi quam plurima. praesto autem ex ipso libro erant Armenii et Chaldaei, quippe qui III 1 sqq. narrentur in Cyri dicionem ultro se dedidisse. mirum hercle si eorum X. oblitus est, Medos tantum dicens in eo numero fuisse et Hyrcanios.

Demptis autem illis nominibus perstant et elucent verba ἡγήσατο et κατεστρέψατο contentionis causa necessaria, concidunt ἦρξε et ἐπῆρξε. quorum ἦρξε genus est, ut ait Wyttenbachius (Ecl. hist. p. 370), duarum antecedentium formarum: quare non admiranda est diligentia in significanda graduum

differentia sed mixtura reprehendenda. ἐπῆρξε autem quod supra est ‘insuper imperare’ ut recte vertit Wyttenbachius — ita enim perspicitur quod X. negat regem Scytharum in alios etiam populos dominationem habere posse praeterquam in suum (cf. ἐπιλέγειν ἐπιλαμβάνειν alia) — cur illud velint esse ‘imperio regere tamquam provinciam’ non intellego: si quidem provincia data accipitur, nationum regna Cyrus ipse occupavit.

Ordinem denique nominum perperam inmutatum esse questus est idem Wyttenbachius: *Φοίνικας Βαβυλωνίους* locum suum non habere nisi post *Ἀραβίους*, *Αἰγυπτίων* post *Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ*. certe *Φοίνικας* eiciendum est; nihil enim de subactis Cyro Phoenicibus X. scribere habuit. ceterum verborum ambitus extremus tenuis et miser est: oratio enim iam quasi intercluso spiritu post *ὧν οὐδ᾽ ἂν τὰ ὀνόματα ἔχοι τις εἰπεῖν* vehementius etiam praecipitatur.

Itaque cum totum hoc enuntiatum reputamus, haec sibi obstare manifestum est: contentionem regum Cyrique et conparationem aliqua ex parte libertatis ut eorum quos in Europa certe subigere nemo potuit ita illorum quos Cyrus postea devicit. quoniam igitur in quadrum numerumque sententias redigi sine vi non licet, alium aliquem confusa et perturbata contentione gentes obscuras nominaque dubia ad praeconium et inutile et incredibile converrisse persuasum habeo. X. autem cum nomina conligeret, exempla dumtaxat adhibere volebat ad probandam sententiam. quod si est, resecanda sunt haec: primum *καὶ τἄλλα δὲ — ἀλλήλων*, tum *παραλαβὼν ὡσαύτως — αὐτόνομα ὄντα*, deinde *Φοίνικας*, denique *ἦρξε δὲ — Αἰγυπτίων*.

Potui equidem etiam aliud eloqui interpolationis indicium certissimum, sed est ea quaedam quasi lex considerandi alios quoque Cyropaediae locos. quare quamvis mihi explorata esse videatur: quoniam ipse non inveni primo quem tractavimus loco scrutando, postmodo si placet quanta auctoritate futura sit videamus.

Cap. 2 describuntur mores institutaque Persarum et ita describuntur, ut, sive revera eiusmodi erant sive non erant, X. certe etiamtum cum hunc librum conposuit esse et valere ea existimaverit. tempore enim utitur praesenti, et § 6, ne totum

caput exscribam, legimus haec: — *λέγουσιν, ὅτι ἐπὶ τοῦτο ἔρχονται ὥσπερ παρ' ἡμῖν οἱ τὰ γράμματα μαθησόμενοι.* vita autem Persarum ac rationibus civilibus enarratis laudatisque quo magis inlustrata pateat eorum res publica, repetuntur summa institutorum publicorum capita. sequitur § 16: *καὶ νῦν δὲ ἔτι ἐμμένει μαρτύρια καὶ τῆς μετρίας διαίτης αὐτῶν καὶ τοῦ ἐκπονεῖσθαι τὴν δίαιταν. αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι, αἰσχρὸν δὲ ἔτι καὶ τὸ ἰόντα ποι φανερὸν γενέσθαι ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα ἢ καὶ ἄλλου τινὸς τοιούτου. ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μετρίᾳ ἐχρῶντο καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον, ὥστε ἄλλῃ πῃ ἀποχωρεῖν.*

Atque hoc quidem intellegitur permanere dici documenta Persarum moderationis etiamtum cum haec scripta sunt. et dictum de illa est verbis proximis. verumtamen ibidem de abstinentia non plura praedicata sunt quam de obedientia iustitia patientia, denique de re publica bene instituta. quid? nullane earum virtutum documenta etiamtum? at erant ipsae quoque et vigebant qua fuit X. aetate: alioqui nullus antea erat usus temporis praesentis. sin nihilo minus additur 'et nunc quoque' atque 'indecorum etiamnum', prospectare videmur iuberi res quae fuerunt post X. is autem, ut qui esse tales quales descripsit Persas iudicarit, ne debuit quidem subiungere *καὶ νῦν δέ*, aut si metuisset ut crederent legentes, omnia omnino provocatione ad praesentes testari eum oportuit. nunc vero ubi temporum simus in medio relinquitur internoscere.

Alia est c. 2 § 1 huiusce documenti ratio: *φῦναι ὁ Κῦρος λέγεται καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν.* etenim Cyrus pridem mortuus erat; res ab eo gestae in fabulas, ut ita dicam, abierant. eius igitur recte dicit X. servari etiamtum memoriam. ubi autem incipit de rebus Persicis quales sint exponere, *οὗτοι δέ,* inquit, *δοκοῦσιν οἱ νόμοι ἄρχεσθαι κτἑ.* alios ergo aliis temporibus mores Persarum fuisse X., siquid video, non sensit.

Sed verba illa suspecta singillatim pendamus. atque *ἐκπονεῖν* saepius est 'concoquere' aut 'laborando conficere', et insequitur *εἰ μὴ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον.* certe 'vitam' aut 'victum exercitare' nihil est. at *ἐκπονεῖσθαι (τὴν*

δίαιταν) mediumne sit transitivum an passivum, potest dubitari. illud quidem est Hipparch. 8 6, sed significatione ab h. l. aliena. talis autem qua hic utamur duobus locis inest non medio sed activo: Comm. I 2. 4 Oec. 11 12. quare non est cur passive dictum ἐκπονεῖσθαι nolimus accipere, quod monemur in Stephani Thesauro. sed ‘victum laborando concoquere’, seu passivum seu medium amplectaris, inauditum est. concoquitur enim non victus sed res ad victum necessariae, non ἡ δίαιτα sed ἡ τροφή. atque aliquid concedendum hoc loci erit etiam de substantivi illius usu eis qui sana haec esse contendent. invenitur enim proxime (c. 3 2) δίαιται numero plurali: qui apud X. portenti similis est. nimirum δίαιται sunt aut arbitria iudicum Atheniensium aut habitationes, non modi vivendi. maiori etiam neglegentia factum est ut, quod secundo et tertio loco positum est φαίνεσθαι et φανερὸν γενέσθαι, primo requiramus. infra autem est (VIII 1 42) ὡς μὴ πτύοντες μηδὲ ἀπομυττόμενοι φανεροὶ εἶεν adcuratius dictum de Persarum decore. sed hic loquitur insulsus aliquis de decore de abstinentia de exercitatione corporis permixtim, cumque Persas τὸ ὑγρὸν i. e. salivam pituitam urinam exsudando sumata consumpsisse, quid opus exspuere nasumve emungere? cur quaeso turpe putarunt mingere, cum urinam sudarent? futile hoc conmentum est: nullum enim decoris documentum h. l. desideramus: atque inter gravis seriasque res et expositas et exponendas intolerabile ac ridiculum. originem duxit ex loco supra citato.

Iam rebus Persicis adumbratis X. ad Cyri revertitur indolem depingendam. nam priusquam illum de Persarum moribus et institutis locum interponeret, patre Cambyse Persarum rege et matre Mandane natum Cyrum esse voluit memorare. qua in re initium factum esse videmus non tam ab historicorum testimoniorum auctoritate quam a fide et consensu fabularum. non enim solum ἐπυθόμεθα inquit καὶ ᾐσθῆσθαι δοκοῦμεν, sed λέγεται et ὁμολογεῖται et λέγεται καὶ ᾄδεται et διαμνημονεύεται coacta unum in locum intulit. ex hoc igitur quasi fonte repetita est Cyri memoria; ex fabulis prima quaeque de eo cognoscimus. quae quanto et vetustiores et inlustriores sunt historia, tanto longius nobis videmur remoti ab nostris rebus esse in ea

tempora quibus Cambyse regnante in Perside Cyrus adulescebat. qui duodecim fere annos disciplina Persica institutus, ut conveniret Astyagem desiderantem videre, ductus a matre proficiscitur ad Medos. cum autem primum conspexisse narratur avum coloribus infectum et capillamento exornatum more Medico, intermissa narratione haec leguntur interiecta: *ταῦτα γὰρ πάντα Μηδικά ἐστι, καὶ οἱ πορφυροῖ χιτῶνες, καὶ οἱ κάνδυες, καὶ οἱ στρεπτοὶ οἱ περὶ τῇ δέρῃ, καὶ τὰ ψέλια περὶ ταῖν χεροῖν· ἐν Πέρσαις δὲ τοῖς οἴκοι καὶ νῦν ἔτι πολὺ καὶ ἐσθῆτες φαυλότεραι, καὶ δίαιται εὐτελέστεραι.*

Xenophontis haec ut credam esse in animum non induco. qui satis ipso libri initio curavit, ne quid de sui temporis opinionibus aut similitudinibus legentes cogitatione admiscerent: Cambysis primo conmonefiunt, Persarum numeri quantus fuerit: in Perside utique versamur, non in ingenti imperio quod postea exstitit Persici nominis. Cyri denique praestantiam X. monstrare voluit *ἀρξάμενος ἀπὸ παιδός*. itaque cum narrat illum venisse ad Astyagem, de Medis qui postea imperio Persarum parebant nemo potest cogitare nisi is qui ipsam Xenophontis narrationem non animo prosecutus fuerit. inest autem iste error verbis quae exscripsi. nam permiscere vetamur Persas domi, i. e. in Perside, habitantes et regnantes scilicet per Asiam. vetamur ergo conmittere quod conmissurus nemo erat. sed iam luce clarius est eo consilio Xenophontem revocasse animos ad stirpis Persicae originem, ut ostenderet quomodo Cyro duce nascens illud imperium incrementa cepisset. ipsa narrandi et natura et arte effectum est ut ab initio Medos Astyage rege liberos a Persis non possimus non cogitare atque separatos: quid? tamenne Xenophontem putabis adnotationem addere postea voluisse de Persis secernendis? atque ipsa verba supersunt. sufficit enim illud *ἃ δὴ νόμιμα ἦν ἐν Μήδοις*, quo significatur Persas istis rebus non solitos fuisse uti tunc cum Cyrus ad Astyagem venit, ostenditurque per *δὴ* id quod demonstratum aut omnibus notum est. quae autem enumerantur vestimenta et ornamenta, ea neque Astyagi fuisse X. dixit neque Persica haberi a legentibus poterant. quare utrum Medica fuerint necne non rettulit distinguendum curare. haerebat qui haec adlevit —

nolo enim multus esse in conquerenda loquacitate: loquacis autem est de victus Persarum simplicitate non conticuisse — haerebat in suis temporibus, id quod probatur isto *καὶ νῦν ἔτι*, quod tertium vides occurrere non in loco nec tempore. oratio autem dirempta ut restitueretur, *ὁρῶν δὴ τὸν κόσμον τοῦ πάππου* repetita sunt ex superioribus, ita quidem ut *Κῦρος* haud facile simul audias. contra X. qua ratione praedicat de re ad demonstrandum necessaria vide infra § 8. 9.

Venimus ad c. 4 § 27: Cyrus cum a Medis domum discederet a consanguineis dimissus est osculantibus eum more Persico. fuerunt autem illi non Persae sed Medi, feceruntque hi quod moris illorum erat. quare obtinuisse apud illos eum morem adiungere nihil est. adiungitur tamen *καὶ γὰρ νῦν ἔτι τοῦτο ποιοῦσι Πέρσαι* inprudenter et intempestive emergens ex posteriore aetate, quae ipso narrandi modo videbatur abdita esse atque suppressa. nec hercle cum factum aliquid traditur ex more esse, tum vero, ut ne quid de eo more dubitetur, ullum testimonium quisquam requiret; sin offertur parvi ducet: praesertim cum paullulo infra haec sint § 28: *ἦ καὶ ἐν Πέρσαις νόμος ἐστὶν οὗτος κτἑ.* en stilum artificem.

Inter duo tempora diversa ac separata iactamur et semper iactabimur: procul enim sumus ab fine. nec solum detrudimur, ubicunque istud obicitur *ἔτι καὶ νῦν*, ad posterum aliquod tempus quo Xenophontem fuisse vix ac ne vix quidem intellegimus, sed inde conversi ea adspicimus quae modo legeramus. quod si voluisse Xenophontem putares, conmutato, ut ita dicam, loco spectandi videretur suae orationi occurrere. neutiquam ille ex praesentibus rebus prospicit in transactas temporum priorum: historiam enim scripsisset: sed sumus una cum eo apud Cyrum et versamur inter Persas, quorum res sic narrantur quasi gerantur non quasi peractae prodantur memoriae. quare ut Hellenicorum l. II extr. recte dictum est *καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος*, ita in Cyropaedia tantam rerum repugnantiam nemo non videt. hoc itaque restricte tenendum est narrando Xenophontem progredi. velut, si quidem exemplo opus est, de Medicae stolae apud Persas usu loquitur VIII 3,

praemature locutus foret supra c. 3 2 de vestimentis utrorumque discernendis.

Hac in ratione simplicissima animum defigamus. sicubi autem in verba incidemus quae subdita esse non convincitur nisi isto ἔτι καὶ νῦν, ex similitudine agamus, ne teratur argumentum.

L. II c. 4 § 20, ubi Cyrum X. narravit Armeniis bellum inferentem cum venaretur multas feras cepisse, docemur ea de causa id ei contigisse quod multae illis regionibus fuerint etiamtum cum hic liber scriptus est.

L. III c 2 § 24: (οὕτω μὲν οὖν τότε διεπράχθη·) καὶ νῦν δὲ ἔτι οὕτω διαμένουσιν αἱ τότε γενόμεναι συνθῆκαι Χαλδαίοις καὶ τῷ τὴν Ἀρμενίαν ἔχοντι. (ἐπεὶ δὲ αἱ συνθῆκαι ἐγεγένηντο κτἑ).

Adrogantius quam aptius καὶ — δὲ se interponit inter οὕτω μὲν — ἐπεὶ δέ. quid? tolerabisne inpolite repetitum (ἐπεὶ δὲ) αἱ συνθῆκαι γεγένηντο? at hoc quidem recte se habet, modo eiciantur quae efficiunt ut id, cum denuo positum sit ineleganter, inculcetur legentibus. ceterum ex narrationis modo et quasi decursu nascitur, ut Xenophontem existimemus dicturum fuisse non καὶ νῦν ἔτι διαμένουσι sed καὶ τοῦ λοιποῦ (δὲ) διέμειναν, si voluisset iudicium legentium occupare.

L. IV c. 2 § 8 Hyrcanii, ut pax fiat, fidem dare iubent Cyrum: ita enim ipsos quoque habituros. et pollicetur ille, si promissis staturi sint, amicorum ac fidelium loco se eos aeque ac Persas Medosque ducturum esse. eo autem quod statim admonemur, non perpetuatur sententia. secuntur enim haec: καὶ νῦν ἔστιν ἔτι ἰδεῖν Ὑρκανίους καὶ πιστευομένους καὶ ἀρχὰς ἔχοντας, ὥσπερ καὶ Περσῶν καὶ Μήδων οἳ ἂν δοκῶσιν ἄξιοι εἶναι. at servantes ipsi fidem primum dicendi erant Hyrcanii, non fide digni habiti a Cyro, non πιστευόμενοι, sed πιστοί; nec munera eis dicendum erat etiamtum mandari sicut Medis. Medi enim quo tempore cum Hyrcaniis Cyrus de pace egit nondum erant sub eius imperio. sin praestantioribus quibusdam fieri potuit — id enim suspicatus sit quis — ut munera honoris causa a Cyro deferrentur, non idcirco Persae Medique una nominari poterant tamquam aequi et pares. sed conplecti tamen eosdem licuit ita ut minus definite X. Cyrum loquentem faceret:

amicitiae fidelitatisque loco se illos habiturum esse non inferiore quam Persas atque Medos. praeterea *καὶ νῦν ἔτι* non est 'und jetzt noch' aut 'und noch jetzt', sed arctius cohaerent *καὶ* et *νῦν* suntque omnino 'auch jetzt'. unde sequitur ut *ἔτι* vel ante *καὶ* vel post *νῦν* ponatur, *καὶ νῦν* nusquam discindatur. itaque hoc enuntiatum ne orationi quidem sicut membrum aliquod adnexum est. an asyndeton excusabis? quod oratoris est (cf., si tanti est, Lys. 22 12).

Eiusdem libri c. 3 § 23 leguntur haec: (*ὁ μὲν οὕτως ἐπήρετο, οἱ δὲ πάντες συνῄνεσαν·*) *ὥστ' ἔτι καὶ νῦν ἐξ ἐκείνου χρῶνται Πέρσαι οὕτω, καὶ οὐδεὶς ἂν τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἑκὼν ὀφθείη Περσῶν οὐδαμῇ πεζὸς ἰών.* (*οἱ μὲν δὴ ἐν τούτοις τοῖς λόγοις ἦσαν*). X. *ἐξ ἐκείνου* ad tempus aliquod prius indicandum non adhibet. Ages. 1 17 conparant, ubi *ἐξ ἐκείνου* ita refertur ad *πολέμου* perbene, ut bellum non modo initium fraudis ac doli sed etiam causam fuisse declaretur. hic autem Xenophontem exspecto *ἐκ τούτου* dicturum fuisse. ad *χρῶνται οὕτω* autem, quoniam *τοῖς ἵπποις ὥσπερ οἱ ἱπποκένταυροι* ex proximis adsciscenda esse iure negaveris, dativum aliquem desidero. deest enim praeter morem Xenophontis atque aegre fero quod deest, quia *ἵπποις* animo obversatur. potest enim *χρῆσθαι* absolute dici, verum non quod absolute positum est sed quod ille dativus quem quasi cogimur audire adoptandus non est, hoc pessimum est.

L. VI c. 1 § 30: *ὡς δὲ τότε Κῦρος ταῦτα κατεσκεύασεν, οὕτως ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἅρμασι χρῶνται οἱ ἐν τῇ βασιλέως χώρᾳ.* Cap. 2 § 10: *οἷαπερ* (*δόρατα*) *καὶ νῦν ἔχουσι.* § 11: (*εἰς Θύμβραρα*) *ἔνθα καὶ νῦν ὁ σύλλογος τῶν ὑπὸ βασιλέα βαρβάρων τῶν κάτω Συρίας. Κάτω* adverbium est ex quo genetivus pendet rarissime, velut solum *κάτω χθονὸς* est apud Sophoclem et Euripidem (non apud Aeschylum) scriptorumque etiam deterioris aetatis perpauca sunt exempla. contra *τὰ κάτω* usurpatur in definitionibus praecipue geographicis ad designandum partes inferiores et habet genetivum partitivum: *Ἰωνίης τὰ κάτω* Herodotus. igitur *οἱ κάτω* visi sunt Zeunio ei fuisse qui loca habitabant inferiora, et quidem Syriae. quod cum minus placeret: *τῆς* enim articulus ante *κάτω* abest contra consuetudinem grae-

cam: non tamen Zeunius in culpa fuit sed librarii cuiusvis neglegentia aut novitas codicum. vitium autem ea verba utcumque traxerunt. ac *τῆς* reponendum esse Leonclavius dixit. quem imitari sive non ausi sunt sive intellexerunt quod in promptu est, non posse Syriae inferioris barbaros h. l. adpellatos esse. nam in Lydiae quendam locum Asiae minoris potius populos crederes convenire solitos fuisse. quid? hinc fuerunt *οἱ κάτω Συρίας*? mitto nunc quod *κάτω* praepositionis loco et numero falsissime hic habetur a Fischero aliisque. illud quaero, qui fieri potuerit ut Asiae minoris populi hic dicantur infra Syriam habitantes. sed risus movetur. infra enim Syriam Phoenices potius fuerunt quam Cappadoces aliive quorum hic nomina latere suspicantur. consideranti autem mihi, qua quam usitata ratione Graeci Asiam in duas partes diviserint nec X. tantum saepissime sed etiam ipse interpolator VII 1 45, *Συρίας* videtur additamentum esse non secus atque *Ἀσίας* quod in codice quodam neglectum iacet teste Leonclavio. habemus igitur interpolationem auctam interpretamento: quod nemo mirabitur qui parumper mihi non diffisus sit, eum scriptorem cuius in manus liber in primo venit secundum Xenophontis aetatem fuisse.

L. VII c. 1 § 4: *καὶ νῦν δ' ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει.*

§ 33 ne verborum quidem consecutioni, modo conparetur aliquid, parcitum est. leguntur enim haec: *Ἔνθα δὴ δεινὴ μάχη ἦν καὶ δοράτων καὶ ξυστῶν καὶ μαχαιρῶν· ἐπλεονέκτουν μέντοι οἱ Αἰγύπτιοι καὶ πλήθει καὶ τοῖς ὅπλοις. τά τε γὰρ δόρατα ἰσχυρὰ καὶ μακρὰ ἔτι καὶ νῦν ἔχουσιν, αἵ τε ἀσπίδες πολὺ μᾶλλον τῶν θωράκων καὶ τῶν γέρρων καὶ στεγάζουσι τὰ σώματα καὶ πρὸς τὸ ὠθεῖσθαι συνεργάζονται πρὸς τοῖς ὤμοις οὖσαι.* quid? eane de causa Aegyptios armis superiores fuisse putemus quod etiam postea (*ἔτι καὶ νῦν*) hastis firmis longisque usi sint? sin hastas eorum simpliciter intellegi vis etiamtum firmas longasque fuisse, de coniunctione huius dicti cum ceteris verbis circumspiciendum est, ne sententia interrupta maneat. quid profuerint hastae adversus hostes, non quamdiu eis Aegyptii usi sint, scire cupimus. viderunt hoc qui *ἃ* ante *ἔτι* rectissime pro re nata receperunt ex libro Altorpiensi. iam optione facta ut, quoniam

eadem adnotatio est VI 2 10, aut Xenophontis oblivionem incuses aut lectori adsiduo ea verba tribuas, utrum malis facile est decretu. suorum enim meminisse interpolator optime potuit. sed X., seu eicimus illa seu retinemus, minus adcurate h. l. rem praestitit. initio enim armorum conparationis ab hastis facto plurimum tamen Aegyptios dicit potuisse scutis ita, ut illud *πρὸς τὸ ὠθεῖσθαι συνεργάζονται* vixdum prohibeat ne hastarum obliviscamur.

§ 45: *καὶ οἱ Αἰγύπτιοί τε οἱ καταμείναντες τότε ἔτι καὶ νῦν βασιλεῖ πιστοὶ διαμένουσι, Κῦρός τε πόλεις αὐτοῖς ἔδωκε, τὰς μὲν ἄνω, αἳ ἔτι καὶ νῦν πόλεις Αἰγυπτίων καλοῦνται, Λάρισαν δὲ καὶ Κυλλήνην παρὰ Κύμην πλησίον θαλάττης, ἃς ἔτι καὶ νῦν οἱ ἀπ᾽ ἐκείνων ἔχουσι.* minus eleganter haec dicta esse non negabis. primum enim eos regi Persarum fideles etiamtum esse contendit qui tunc remanebant, tum, quod veri similius est, eorum posteros sedes tenere. de oppidulorum nominibus vide virorum doctorum adnotationes, ex quibus quam illa sint quasi conclamata conligas. excipitur, ni fallor, narratio per *ταῦτα δὲ διαπραξάμενος*. ac *ταῦτα* Hertlinus cavendum esse sensit ne ad donationem Cyri referatur de qua modo dictum est, sed ad illius res gestas quae supra narratae sunt. sed longius tamen per *ἔτι καὶ νῦν* ter instans a re narranda depulsi sumus. *δὲ* autem quod non omnes libri mss. habent haud scio an conrigenti alicui debeatur (cf. *ὅσα* I 1 4).

§ 46: *ὥστ᾽ ἔτι καὶ νῦν διαμένει ἡ ὅπλισις ἣν τότε Κῦρος τοῖς ἱππεῦσι κατεσκεύασεν.* ac *τότε* quidem quod modo legimus ante *ἔτι καὶ νῦν* positum molestius etiam fit pone idem: pervertitur prorsus ratio temporum. iam hoc *ἣν τοῖς ἱππεῦσι κατεσκεύασεν* insolentius dictum Schneiderus notavit. sed res ipsa valde incerta est. nam putares, praesertim cum supra sit *οἱ καταμείναντες τότε*, tunc temporis equitatum ita instructum esse cum Cyrus pugnam de qua modo audivimus inire statuit, aut paullo ante. at dudum est cum ea de re X. exposuit, IV 3 et 5. narrationis scilicet spatia interpolator nihilo aestimavit neque reputat nisi duo illa tempora, Cyri et suum, quae per *τότε* et *νῦν* denotat. sed iam secuntur haec: *ὥστε καὶ τοῦτο ἔτι καὶ νῦν διαμένει τὸ πολεμιστήριον τῷ ἀεὶ βασιλεύοντι.* simillime

adiecta sunt atque superiora, ipsaque verba, quod adtinet ad orationem, aequabilitatem quandam membrorum prae se ferunt. verum ut verba modificata sunt ita sententiae displicet quod cum illis non concinunt. etenim equitatus i. e. equitum armaturam quae Cyro placuit permansisse primo legimus. iam cum currus falcati et ipsi in puga conspicui et probati fuerint, hoc quoque instrumentum militare manere additur regibus sese excipientibus. est autem in verbis *διαμένει τῷ ἀεὶ βασιλεύοντι* ea opinio qua adductus singulos reges audire videaris ut quisque subsecutus est ita illa instrumenta adcepisse tamquam tradita. diligentius quidem deliberanti dicendum fuit Persis ea manere usitata, militibus Persarum dico, ut qui curribus vehentes uterentur. his demonstratis spero me adsecutum esse sententiam Schneideri qui h. l. se non comminisci profitetur, cur *τῷ ἀεὶ βασιλ.* dictum sit, non *τοῖς Πέρσαις.* oblocutus esse videtur interpretandi causa Bornemannus: Cyro de quo agatur seriores opponi Persarum reges. sed ad rem de qua quaeritur non adspiravit.

Praeterea non fugerunt Schneiderum verba a Xenophontis sermone discrepantia: *τὸ πολεμιστήριον* subst. num. sing., *σχῆμα* (quod Breitenbachius interpretari audet ‘ihre frühere bestimmung’ vertens maiori ex parte *ἀπολαβοῦσαι* et *τὸ ἑαυτῶν*), quibus addi potest *ἐποχεῖσθαι.*

Nec Schneiderus noluisse videtur facere cum Weiskio cuius exscriptum habeat hoc: ‘non placet mihi h. l. (§ 48 sq.) sententiarum conformatio, nexus et ordo, ut vix credam scriptorem tam neglegenter scripsisse et quaedam certe putem esse depravata’. quin deridemus istud *οὐδ᾿ αὐτοί γε ἀπέθνησκον ὑπὸ ἱππέων· (οὐδεὶς γὰρ ἵππος ἐπέλαζε)*, si quidem erat demonstrandum qua de causa non idonei ad pugnam cameli iudicati fuissent. sed maneat quod concedi potest, vitiata esse verba: id tamen sententiae perlucet, ut camelos quibusdam de causis intellegamus non adhibitos esse ad pugnandum, contra atque equitatum et currus falcatos; horum enim utrique laude digni existimati sunt. tria igitur recognitione quadam facta censentur, quae, prout in pugna aut probata sunt aut inprobata, aut mansisse dicitur aut notam tulisse. adparet ergo quod fortasse argu-

mentis doceri non necesse est, connexa et apta inter se esse verba § 46—49 et scripta uno eodemque consilio. id autem Xenophontis esse non potuit. videamus. in acri illo proelio quod Cyrus cum Croeso conmisit cameli quibus ille utebatur hoc momenti fecerunt, ut sinistrum cornu hostium fugaretur (c. 1 27). quae res ita describitur ut Herodoti verba (I 80) inlustrata esse videantur. re autem bene gesta Cyrus postquam Aegyptios in fidem accepit postridie statim Sardes petiit, ut Croesum devinceret. non cunctandum existimavit ille quin Croesum persequeretur. at contra X. videtur tantam moram interposuisse, ut *ἀποδοκιμασίας* cuiusdam moneret camelorum et moneret hoc ipso loco, quo alienior in Cyropaedia nullus est. nam quantopere illi Cyrum in pugna adiuverint, modo ac plane paullo ante audivimus. si vero ne ipse quidem Cyrus aliter de eis statuit, sed postea nescio qui voluntate aut odio adducti: si nihilo secius de ea re explicatur, aut evolasse videbitur Xenophontis oratio, aut sunt ea verba, cum nusquam bene se habitura sint, reliquis id genus *παραγραφαῖς* adnumeranda. proinde eiciamus totam hanc particulam: ab uno eodemque homine scripta est, verborumque malae condicionis, de qua Weiskius conqueritur, non libros mss. culpam ferre arbitror sed eius qui scripsit ingenium. fuit autem neglegentissimum. nam in hac recensione rerum ad pugnandum aut utilium aut inutilium quid sibi volunt ipso initio Aegyptii? confluit tamen et coniungitur, si verba audis, eorum laus ac curruum falcatorum aut, si hoc malis, Persarum equitatus. nam *τῶν μὲν πολεμίων* quod est in libro Guelf. omnino videtur legendum esse, quamvis incredibilis sit sententiarum series. statim vero post quam didicimus neminem camelis uti ea de causa quod uti nemo voluerit, ideoque illos inter impedimenta versari, reicimur ad rem narratam per *καὶ οἱ μὲν κτέ.*, quae eiusmodi sunt ut nullum intervallum Xenophontem h. l. facere voluisse persuasum sit.

Cap. 3 § 16: *Καὶ νῦν τὸ μνῆμα μέχρι τοῦ νῦν τῶν εὐνούχων κεχῶσθαι λέγεται· καὶ ἐπὶ μὲν τῇ ἄνω στήλῃ τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς ἐπιγεγράφθαι φασὶ τὰ ὀνόματα, Σύρια γράμματα· κάτω δὲ εἶναι τρεῖς λέγουσι στήλας, καὶ ἐπιγεγράφθαι ΣΚΗΠΤΟΥΧΩΝ.* vix quisquam fuit quin mendosa haec esse sentiret.

exsecutus autem quae sunt in causa omnia solus est Schneiderus, cuius vide adnot. loco denique ea movit Dindorfius ut subditicia. etsi recentioris Graeculi, ut ait ille, additamentum non videntur esse. de alio eiusdem generis invento quod non Xenophonti debetur vide Dindorf. praef. ed. Oxon. p. VIII.

Cap. 5 § 70: *αὕτη μὲν δὴ ἡ περὶ αὐτόν τε φυλακὴ καὶ ἡ ἐν Βαβυλῶνι τότε κατασταθεῖσα καὶ νῦν ἔτι οὕτως ἔχουσα διαμένει.*

L. VIII c. 1 §. 6: cum Chrysantas orationem habuisset, placuit proceres semper ad fores adesse donec dimitterentur. *ὡς δὲ τότε ἔδοξεν — φαυλότερον* (§ 8) item inportata sunt. nec solum *καὶ νῦν ἔτι* exsurgit, sed additum est *κατὰ τὴν Ἀσίαν*, ne scilicet in Europa videamur adhuc fuisse. *ἄρχοντες* qui dicuntur non conveniunt cum significandis Cyri ministris. iam illud *ἐν τῷ λόγῳ* utrum sit 'in narratione' an 'in oratione' difficile est ad disceptandum. utrumque enim esse potest, et esse simul utrumque pronuntiat Hertlinus qui vertit 'in narratione nostra' et citat orationem VII 5 72, aliique similiter. verum nequaquam potest neque oratio illa *ὁ λόγος* esse *κατ' ἐξοχήν* neque ulla narrationis aut ipsius libri pars quae supra est citari per *ἐν τῷ λόγῳ* (*δεδήλωται*). *πρόσθεν* enim addatur necesse est, quod omnibus locis invenitur quos eosdem cum hoc esse falso dicunt Dindorfius et alii; aut dicendum erat *ἐν τῷδε τῷ λόγῳ* (Herodotus per *ἐν τοῖς πρώτοις τῶν λόγων* fabularum monet quas relatas narrat). quare hic postulamus vel *πρόσθεν ἐν τ. λ.* vel *ἐν τῷ πρόσθεν λ.* i. e. narrationis aut libri loco eo qui supra est. nec video qua tandem de causa reminiscendum sit orationis. ante enim eam de rationibus quibus Cyrus regnum sibi Persisque confirmare voluit fusius narratum est. sed quidquam emendari nolo iubere. nescio enim quantum diligentiae inputemus homini inculto et incurioso. adde huc *καταστησάμενος* verbo *δεδήλωται* adiunctum insolenter nec obiecto non indigens (nam quod VIII 6 8 item est obiectum omissum, augetur licentia non excusatur): requiritur enim aliquod; aut verendum est ne quis *ἀρχὴν* etiam ad illud participium pertinere putet. praeterea ab *ὡς* quod posuisse videtur propter *ὡς — οὕτω* praecedentia non adcurate abiit ad *ταῦτα*. nempe cum contemptis temporum rationibus ita loquatur de suae aetatis rebus ut praecurrisse animo

videatur, poetarum more et modo dicit sicut Cyrus constituerit easdem permanere leges. quae vero sequitur sententia quamvis sit gravis, tamen nec consentanea est huic ipsi loco (cf. initium libelli *π. πόρων*), et cum mali principis tam graviter ad finem mentio fiat molesti quiddam habet inter laudes et Cyri et procerum. iam proxima verba *ἐφοίτων μὲν οὖν κτἑ.* vides supervacanea esse cum post longiorem expositionem tum propter sententiam illam quam finem eius facturam fuisse existimares.

Coniungenda igitur sunt haec: *ἔδοξε τοὺς ἐντίμους — παρέχειν ἑαυτοὺς χρῆσθαι ὅ, τι ἂν βούληται, ἕως ἀφείη Κῦρος. ἐφοίτων μὲν οὖν ἐπὶ τὰς θύρας Κύρου κτἑ.* atque *Κύρου* patet digressione interposita adiectum ab homine stulto esse. Xenophontem, cum graece sciret, dicturum fuisse aut *τὰς θύρας τὰς Κύρου* aut *τ. Κ. θ.*, exemplis probare supersedeamus. *Κῦρος* autem cum ad *βούληται* non positum sit, ad *ἀφείη* inritum est; vellem ego quidem *Κύρῳ* esset pone *χρῆσθαι* sicut paullo ante: nisi hic quoque X. nomen omittere maluit quo non egebimus.

§ 20: *ἐπιζητεῖ δὲ καὶ ὁ νῦν βασιλεύς, ἥν τις ἀπῇ οἷς παρεῖναι καθήκει.* uncis saepta iam a Weiskio sunt ob voluntatem quandam, ut videtur, iudicii; nam rationem nullam proposuit; cf. Schn. ad h. l.

Cupio decerpere etiam illa § 23 *καὶ τότε πρῶτον κατεστάθησαν οἱ μάγοι*, quae Weiskium offenderunt, et c. 3 § 1 *καὶ τότε πρῶτον Πέρσαι Μηδικὴν στολὴν ἐνέδυσαν*, quae post c. 1 § 40 ne vera quidem sunt. atque haec redundant. primum enim Cyrum aliquid instituisse ex ipsa narratione scimus: quando primus fuit Persarum dux et moderator. quare aut nusquam aut ubique tale quid adnotandum erat. illa autem etiam invenuste inciderunt in Xenophontis orationem.

§ 24: *οὕτω δὴ τὰ τότε κατασταθέντα ἔτι καὶ νῦν διαμένει παρὰ τῷ ἀεὶ ὄντι βασιλεῖ.*

§ 36: *καὶ νῦν δ' ἔτι βασιλεὺς καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ βασιλέα ταῦτα ποιοῦντες διατελοῦσιν.*

Sed latius manare coepit adnotandi lubido: inpudentior consuetudine et usu factus interpolator totas particulas intulit.

Cap. 2 § 4 Cyrum audimus siquem amicorum in honore haberi volebat a multis cibos de tabula sua misisse. tum se-

quitur expositio (§ 4 med. — 6) qua quoniam non agitur de Cyro sed de rege aliquo qui fuit aliquando post, non de rebus ad Cyri aut memoriam aut cognitionem quidquam facientibus sed de ineptiis, expurganda est narratio, ne *ὑπερεβάλλετο* sine subiecto incertum et vagum sit. persequitur autem X. res Cyri. qui non modo victu curando omnis superavit verum etiam ceteris in rebus omnibus prospiciendo quantopere praestiterit in eo est ut percipiamus. atque excelluisse eum ait X. cum copia vectigalium tum vero largiendo. et hoc quidem — v. § 13 — haud admirabile fuisse pro divitiis ingentibus. sed enim cura et diligentia amicos eum antecessisse regnantem. huic sententiarum seriei apte Schneid. contulit Anab. I 9 24. sed h. l. inclusus eis verbis est longior degressus ex quo existimari potest de Persarum regum munificentia et de gratiis quae eis relatae sunt, de hominibus qui regum oculi et aures vocabantur: qui cum donis et honoribus adfecti essent observabant circumeuntes quomodo quisque se gereret, ut renuntiando regem adiuvarent.

Itaque deprehenditur falsarius in circumscribendo id ipsum quod verbo perstringere se voluisse X. aperte indicat. tantum autem abest ut de aemulatione donandi qua Cyrus praecipuus fuisse dicitur quidquam audiamus aut de beneficiis quibus amicos ille sibi devinxit, ut ad posteriores reges deducamur et in res alienas. dubito enimvero vehementer, Cyrus si speculatores vel beneficiis conduxisset et verborum captatores vel gratissimos, num permultorum sibi conciliaturus fuerit animos. immo conciliavit non metu conmotos sed amore: unde, credo, factum est ut pater ab omnibus vocatus (cf. c. 1 44) de vita decederet: nec beneficia sunt quae quis facit in rem suam ipsius. quid? quod confusi sunt Cyrus et aliqui postea rex? nam utrum pluris fecerint consanguineis, ignoramus; nec minus obscurum est quinam illi fuerint et res ipsa quomodo se habeat. quid? quod de Cyro agitur tamquam mortuo? quasi se continere X. non potuit quin laudationem Cyri effunderet.

Illud igitur mirari neminem oportet quod Weiskius ad § 13 et 14 negavit nec res nec libros liquidum facere, utrum universa sit ab initio sententia, an de Cyro statim dicatur, cum

non solum ὑπερβάλλειν et περιγίγνεσθαι sed etiam ὑπερβαλεῖν et περιγενέσθαι inveniantur.

Cap. 3 § 9: ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι ἵστανται ᾗ ἂν βασιλεὺς μέλλῃ ἐλαύνειν. § 10: ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι διείρουσιν, ὅταν ὁρᾷ βασιλεύς. § 13: καὶ νῦν τὸ αὐτὸ ἔχουσι.

§ 34: οὕτω δὴ ἡ τότε ὑπὸ Κύρου κατασταθεῖσα ἔλασις οὕτως ἔτι καὶ νῦν διαμένει ἡ βασιλέως ἔλασις, πλὴν τὰ ἱερὰ ἄπεστιν, ὅταν μὴ θύῃ. dubitationes de integritate huius loci Schneiderus protulerat ratione conspicuas sed exemplis non circumdatas; Hertlinus Dindorfius Breitenbachius exempla admoverunt quibus locum defenderent. atque Xenophontis ex scriptis eadem fere conquisita in adnott. eorum versantur; Herodoti quendam locum conparavit praeterea Hertlinus. sed videamus singula. et ἔλασις quidem bis conglutinatum cum eodem verbo ut defendatur, quattuor exempla pro argumento ponunt, quorum non eadem est ratio inter se omnium sed duplex genus. nam supra videmus VII 2 11 iterari τοὺς στρατιώτας, Anab. VI 4 2 (οὓς ἂν λάβωσι - Βιθυνοί - τῶν Ἑλλήνων ἐκπίπτοντας ἢ ἄλλως πως δεινὰ ὑβρίζειν λέγονται τοὺς Ἕλληνας, si integra sunt: videntur autem post ἄλλως πως quaedam intercidisse) οὓς ἂν τῶν Ἑλλήνων et τοὺς Ἕλληνας, Herodot. VI 137 ter τοὺς Ἀθηναίους. nollem equidem factum ut haec conmiscerentur: non moleste profecto sed graviter τοὺς στρατιώτας denuo positum est et suo loco. Cyrus enim, ut qui labores sustinuissent eidem haberent laborum precium, milites dixit difficultates et pericula subiisse: dignos igitur qui fructum perciperent milites. verum esto: hoc, fateor, tribus illis locis commune est ut iteratum sit obiectum. sed subiectum qui possit iteratum et duplex esse, id quaerimus. adcedit quod h. l. duo subiecta adiunguntur uni verbo, illic non item. sed conparari volunt praeterea VIII 5 13. ubi repetitur οἱ ὑπηρέται: et quidem nullum aliud, sed idem. hic vero sunt ἡ Κύρου ἔλασις et ἡ βασιλέως ἔλασις admodum diversa, ut nihil dicam de interiectis illic verbis conpluribus, quae ipsa perfecerunt ut subiectum non animo repetendum Xenophonti videretur sed ad verbum.

Iam ut οὕτως ferretur, οὕτω eidem illi animo coniunxerunt cum κατασταθεῖσα, vertitque Breitenbachius οὕτω (δή) τὰ

τότε κατασταθέντα (c. 1 § 24) sic: 'diese damals getroffenen Einrichtungen'. horridule autem quis loqueretur 'so die damals getroff. Einr.' pro 'die damals so getroff. Einr.' nequit *οὕτω* participio disiunctum pertinere ad illud si intercedit articulus. nec vero licet *οὕτω δὴ* dirumpi, quod quidem sexcenties in Cyropaedia sit non 'sic igitur': ut 'sic' alio quoquam detrahi possit: sed 'itaque', veluti proxime § 23. sin dirupit interpolator, contra consuetudinem egit Xenophontis. subiectum autem *τὰ τότε κατασταθέντα* totum atque perfectum stat suo sibi utens adverbio.

Quam proclive fuit verba quae coartata adeo sunt ut inter se conlidant laxare et elegantius disponere. quod quoniam fieri non placuit, ne X. pessima scribendi arte fuisse videretur, conrectionem Schneiderus tentavit: seclusit *ἡ* et *ἔλασις* primum; et mutandum aliquid esse etiam Bornemannus existimavit. sed tamen ne ferro decernamus est quare prohibeamur. videntur enim ea verba ut intolerabilia ita non inertia esse. nam duo de quibus agitur constricta et inplicata sunt: cursus equester a Cyro institutus et usitatus etiamtum cursus Persarum regis, qui conparantur per *οὕτως* (*ἔτι καὶ νῦν*). qua de causa subiectum cui diversa tribuerentur visum est repetere; non praeter necessitatem id quidem, cum praesertim contrarii quiddam illi cursus habeant: ut de tenore aut conparationis aut oppositionis constituendo omnino desperandum sit. accipiamus igitur cuncta, dum construi non posse fateamur.

Consimilia sunt haec c. 5 § 27: (*ταῦτα εἰπόντος Καμβύσου συνέδοξε Κύρῳ τε καὶ τοῖς Περσῶν τέλεσι·*) *καὶ συνθέμενοι ταῦτα τότε καὶ θεοὺς ἐπιμαρτυράμενοι οὕτω καὶ νῦν ἔτι διαμένουσι ποιοῦντες πρὸς ἀλλήλους Πέρσαι τε καὶ βασιλεύς.* (*τούτων δὲ πραχθέντων ἀπήει ὁ Κῦρος*). quid? inter quos convenerat, qui deos testati sunt, quinam fuerunt? Cambyses Cyrus et Persarum proceres. quin construis ea ipsa participia cum verbo? adsiliunt repente Persae et rex. nimirum oratio si initio facto a participiis casu recto iam solutius ingressa quaerit ubi desinat, ex verbis superioribus eligere subiectum aliquod potest, novum adtrahere non potest: abscissa enim forent illa. (cf. Krüg. ad Anab. I 8 27). itaque Persis et regi ut est aliquid cum parti-

cipiis illis verbo tenus, ita cum re ipsa quae eis significatur nihil est.

Utroque loco videtur interpolator, quoniam quod factum esse narratur videbat mansisse, hanc quasi unam eandemque rem praedicare una voluisse et de eo qui initium fecerat et qui conservarat. sed quae ille peranguste in adnotatione sua refersit, singula expediisse satis habeamus: omnia coniunctim accepta structuram praebent nullam aut propendentem. — Illa vero *πλὴν τὰ ἱερὰ ἄπεστιν ὅταν μὴ θύῃ* quamvis penitus per se intellegantur, ad sententiam tamen inlustrandam nihil valent. nam quando et qua de causa interdum, ut videtur, rex sacra facere noluerit, hoc ipsum quod nuntiandum erat legentium cognitioni aut suspicioni relictum est.

Porro eiciantur: c. 4 § 5 *καὶ ταῦτα δὲ ἐπὶ Κύρου γενόμενα οὕτως ἔτι καὶ νῦν διαμένοντα αἰσθανόμεθα.*

Cap. 4 § 28 *καὶ νῦν ἔτι ἔχουσιν οἱ τῶν καταμεινάντων τούτων τότε ἀπόγονοι·* (potius diceret *τ. τότε καταμειν. ἀπόγ.*) *πλεῖστοι δ' εἰσὶ Μήδων καὶ Ὑρκανίων.*

Cap. 5 § 21 *ἔδωκε δὲ καὶ πᾶσι Πέρσαις καὶ Περσίσιν ὅσαπερ καὶ νῦν ἔτι δίδωσιν ὅτανπερ ἀφίκηται βασιλεὺς εἰς Πέρσας.* itane? totidem donavit? testem egregium!

§ 28 legimus haec: (— *τὴν Κυαξάρου θυγατέρα*) *ἧς ἔτι καί νῦν λόγος ὡς παγκάλης γενομένης.* et mirifice similia sunt illis I 2 1 *λέγεται καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν* et firmari videntur eo quod enuntiationi quasi in transitu addita non nimium se efferunt. quare si quis interpolatoris haec non esse contenderit, non infitias ibo. sed forsitan talia ipsa interpolandi quasi ansam dederint. quicunque enim scripta veterum auxerunt aut correxerunt, in ipsis scriptis et materiam et occasionem sive adscribendi sive intexendi inveniebant.

Cap. 6 § 5: *καὶ νῦν εἰσιν ἔτι τοῖς ἀπογόνοις τῶν τότε λαβόντων αἱ χῶραι καταμένουσαι ἄλλαι ἐν ἄλλῃ γῇ· αὐτοὶ δὲ οἰκοῦσι παρὰ βασιλεῖ.*

§ 9 *ὡς δὲ τότε Κῦρος κατεστήσατο, οὕτως ἔτι καὶ νῦν βασιλέως εἰσὶν αἱ ἐν ταῖς ἄκραις φυλακαὶ καὶ οἱ χιλίαρχοι τῶν φυλακῶν ἐκ βασιλέως εἰσὶ καθεστηκότες καὶ παρὰ βασιλεῖ ἀπογεγραμμένοι.* tam socorditer adspersa sunt ut vix loco suo esse cre-

dam. conventura erant ut videntur cum huius ipsius capitis parte priore. illic vero ea non addere, hic autem in mediam descriptionem satrapearum inmittere inbecilli erat ingenii. nec profecto hic si praeter custodias etiam satraparum facta mentio esset: id quod iure suo Schneiderus postulaverat: ne sic quidem placere possent res permixtae. atque etiam ipsa verba Xenophontis esse non possunt. ut enim omittam quaerere cur de solis arcium custodibus aliquid, de urbium terraeque nihil proditum sit: distincti autem ita sunt § 1 et 3: nonne maluit X. praesidia arcium nominare quam custodias? v. s. § 1 et VII 4 7 et cf. *φυλακὴν τοῦ ὄρους* III 1 5. posita vero ea a Cyro non tunc temporis sunt cum satrapas dimisit sed antea ut cuiusque ponendi occasio fuerat. quare pugnant haec verba cum illis § 3 *οὓς τότε κατελίπομεν*, ubi *τότε* 'tunc cum expugnavimus' esse recte dicunt Hertlinus et Breitenbachius.

Cap. 6 prope est ut quaeram § 15 interpolatoris sit an 14 et 16: adeo illa particula seiuncta deerravit. ac § 14 non solum orationis quae supra est enumerationem vides esse, sed etiam rerum de quibus hoc cap. nihil audivimus. tria enim inde deduci licet: honores sellarum adsiduitatem in atriis frequentandis et ex § 9 ea quae de custodiis dicta sunt. alia adferuntur tria quae incognita aut ad locum superiorem referenda aut suspensa sunt. cinguntur tamen haec omnia oratione quae tantum non continuari videtur et illo *ταῦτα δὲ εἰπὼν* quo finitas orationes esse solent indicare. quid? intellegine possunt verba § 15 nisi § 14 praetermiseris? permutent ergo locum, ut et perorasse Cyrum temperius sciamus et interpolatoris declaratio cohaerescat. at hoc quidem non illi in animo fuit, sed voluit dispergendis auctariis efficere ut narratio eis quasi intexta esset. consulamus ergo Xenophonti potius quam homini inportuno et temerario. quodsi non aliter ac ceteris locis hic existimo, vim increpare non debebit is qui § 14 Xenophontis esse opinatus *ταῦτα* in *ταῦτα δὲ εἰπὼν ὡς χρὴ ποιεῖν ἑκάστους* pendere dicit ex *ποιεῖν*. quid? ex *εἰπὼν* non pendeat?

Iam illud cernimus ut § 14 quaepiam enumerentur. quorum istud plane novum est quod discimus domus et magnas et parvas aeque habitatas fuisse. confingant per me licet princi-

pum provinciarum vel 'der satrapen und untersatrapen' eas fuisse (v. Fisch. et Hertl.): Xenophontis ex verbis certi quidquam promere non possumus; nihil enim de eis habet. quare h. l. cum res quas Cyrus adornavit et fieri iussit per capita videantur repeti, non ratione sumptum est domorum testimonium non ignotum illud quidem interpolatori sed legentibus mirabile. itinerumque item singularis est ratio. de his enim nihil praecepit Cyrus. sententia igitur, cum initio sit *K. οὕτω τάξαντος*, non quadrat; abiectum est consilium orationis breviter repetendae, ex cap. 5 aliquid libatur. ubi de Cyri consuetudine et modo itinerum faciendorum narratum est et interpolator haec adnotavit § 2: *ὅπου γὰρ ἂν στρατοπεδεύηται βασιλεύς, σκηνὰς μὲν δὴ ἔχοντες πάντες οἱ ἀμφὶ βασιλέα στρατεύονται καὶ θέρους καὶ χειμῶνος.* ceterum *πορείας συντάττειν* cum 'itinera praecipere' h. l. esse nequeat, quia non praecepta enumerantur sed effecta, Xenophonte indignum est non minus quam si Caesarem putares dixisse 'itinera construere' vel 'adornare'. extremum denique huius § enuntiatum ecquam habeat sive narrationis sive orationis certam partem ad quam pertineat, nullus video: vagum est. quam vero stolide non solum in anaphora (de qua mox dicemus) sed etiam in verbis adfectata sit Xenophontis imitatio ut adpareat, ea consideremus quae conparari cum h. l. ab editoribus solita sunt c. 1 15: *ὁ Κῦρος συνεκεφαλαιώσατο τὰς οἰκονομικὰς πράξεις.* illic enim unus *συνεκεφαλαιώσατο*, hic ab omnibus *συγκεφαλαιοῦται;* hic dativus (*ἐπιστάταις*) adhaeret, illic nullus; denique illa bene recteque vertere licet, haec vero non licet nisi solute lubitum erit et vage. sane adridet *εἰς ὀλίγους ἐπιστάτας* codicis Altorp., quod ex *συντάττειν εἰς* veluti Paus. VIII 30 5 *Διοφάνους συνάξαντος Πελοπόννησον τὴν πᾶσαν εἰς τὸν Ἀχαικὸν σύλλογον* aliquid si non auctoritatis at interpretationis habet. sed falsarii sermonem quis restituerit? *πᾶσι* porro (quod est ni fallor 'ab omnibus' et esse debet, ne eiusdem vocabuli quod ante bis aut semel initio positum est varietur et mutetur condicio), sed ipsum *πᾶσι* quid sibi vult? quinam cogitandi sunt universi? regesne? an satrapae? an utrique? contra sellarum honore optimi quique non ab omnibus adfecti sunt sed ab omnibus, si id teneatur, satrapis (quos

ἄρχοντας interpolator vocare omnino maluit: cf. c. 1 6). alterum vero πᾶσι quod conrectum, ut ait ipse, a Dindorfio est et placuit nuper conpluribus, qua de causa praetulerint ei quod libri praebent πᾶσαι, non adsequor. quid est cur enitamur ut magis etiam putida fiat membrorum aequalitas? nequit vero πᾶσι cum verbo certa ratione construi. sed de hoc non litigabimus: certo scio illud verbum quod per anaphoram obtunditur legentibus incertissimum esse. nec mirum si in conlectione non eminent et exstant quae narratione non inluminata sunt.

Ad ea quae § 16 de ἐφόδων officiis traduntur pertinere § 4 inde a Zeunio sine dubitatione confirmarunt. illic enim narratur Cyrus secrevisse quos ad quaspiam res praestandas per provincias mitteret, aiuntque eos esse τοὺς ἐφόδους. quod fortasse ita intellegi volunt ut X. de illis primum generatim locutus sit tum nominatim exposuerit. attamen, sive Xenophonti statuis sive interpolatori § 16 deberi, utrumvis vix concedo, si verba § 4 sensisset, hic ad Κύρου κατάρξαντος additurum fuisse ὥς φασι. ac Xenophontem ita se ipsum citasse quam incredibile sit non est cur moneam. verum ne interpolator quidem ita dicturus erat. etenim quos Cyrus noluerat provincias habere sed sibi praesto esse ad negotia suscipienda, eorum utilitates non existimo versatas esse in solo ἐφόδων munere. hoc autem annuum et perpertuum erat, illae fortuitae. quare quoniam ad § 4 adnotatum est quod adnotare lubuit, § 16 prorsus nova est. adcedit eodem ut κατενοήσαμεν (ὅτι διαμένει) ab narratione repellendum sit. initio quidem X. praeterito usus dixerat ἐνενοήσαμεν ἐπυθόμεθα καὶ ἡσθῆσθαι δοκοῦμεν alia; sed dixerat antequam ad describendum adcessit. quo facto idem ut legentes in Cyri res induxit, quoniam dicta narrat tamquam praesens, tempore usus est praesenti: v. s. I 4 26. 27. contra κατενοήσαμεν ὅτι διαμένει non potest dicere nisi is qui cognitis Cyri rebus alicunde quaedam adfert aucupata: ut aut ineunte aut extremo libro, certe extra narrationem subito esse videamur. cf. s. c. 2 10 κατεμάθομεν et quod non multo cautius dictum est καταμαθεῖν δοκοῦμεν c. 1 40.

Quod cum ita sit, etiam § 17 eici necesse erit. plena est non minus quam § 16 verborum insolentium dictorumque minus

elegantium, de quibus antiquiores editores quid dubitarent dixerunt: horum igitur et Fischeri adnotatt. praecipue respicias. tota autem res ita narrata est ut nugas Aeliani videar audire. — Sed legas quaeso deinceps § 13 15 19. —

Reliqui sunt quantum sciam loci pauciores ex libris quos obiimus: quorum singularis est ratio. nam interpolator varie adfectus tum nova et sua addidit tum ita egit ut X. inutilis rerum verborumque retractationis culpam meruisse videatur.

L. IV c. 2 § 1 de Hyrcaniis plura primum referuntur. qua de causa non alienum fuit, ut cognoscerentur, aliquid praetexere. verum quod finitimi vocantur Assyriis, videsis quam id molestum fuerit enarrantibus; nec adtinebat adicere *καὶ νῦν δοκοῦσιν εἶναι.* quodsi haec eicimus cum eicienda sint, haeremus in reliquis apte conponendis. quid? Sciritarumne conparationem mittamus? rem fide non indignam et quae antiquitus tradita esse videatur. at interpolatorem Graeculum recentiorem fuisse non constat, ut infra videbimus. quare non dubito verbis *ἀφικνοῦνται ἀπὸ Ὑρκανίων ἄγγελοι* adiungere *οἱ δὲ Ὑρκ. ἅτε μέλλοντες κτέ.*, quae ad res narrandas satis coloris suppeditant.

Iam illa quae sunt § 2 mutua adsumpsit falsarius ut exornaret videlicet Xenophontis narrationem c. 3 § 2. nec possunt Xenophontis esse l. VI et c. 1 § 27 (*καὶ τὴν μὲν Τρωικὴν διφρείαν — οἱ Κυρηναῖοι*) et c. 2 § 8.

De l. VIII c. 4 § 40—42 iudicium ponere etsi non videtur huius quaestionis esse, tamen, quoniam supra eum locum tetigi, liceat pauca dicere. est autem tota expositio pessima. nam Cyrus regnavit non quod magnum et pulcrum simularet sed quia ceteris praestabat. neque proceribus dignum fuit cum Cyri certatim aemularentur imperitandi facultatem, ut animos vulgi admiratione percellerent praestigias agere. utrosque nuntiatur induisse stolam Medicam: quod pro nihilo habemus, quia infra demum (c. 3) X. narrat quando Cyrus ea uti Persas voluerit, adhaerentque haec interpolatoris: *καὶ τότε πρῶτον Πέρσαι Μηδικὴν στολὴν ἐνέδυσαν.* sed noscitamus hominem fallacem huc illuc rebus etiam ludicris tractandis: cf. § 42 cum I 2 16 et § 41 cum I 3 2.

Itaque restat ut inspiciamus l. III c. 3 § 26—27: ubi barbaros reges novisse narratur equitatum noctu turbulentum et

difficilem esse inprimis barbarum. sed hoc levius: tota enim enarratio ab h. l. dissidet. neque enim quisquam aut opprimit aut opprimitur, sed instructa acie descenditur ad pugnam. simillima autem verba pridem viderunt esse Anab. III 4 35, ubi quam sint ex re addita in propatulo est. sane sua X. non semel iterat; Commentariorum doctrinae et qui elucet in Anabasi praecipue rerum usus huic libro scribendo tamquam fundamento fuerunt et meminimus eorum scriptorum ubivis. sunt enim eaedem quasi normae agendi quarum bonus ille vir conmonefacere nusquam noluit: praesertim cum quantum possent vita et rebus expertus esset. praeterea non tam finxit condiciones rerum et imagines novas quam retinuit quas adulescens et iuvenis bonam partem mente perceperat. itaque videmus eum eandem rem eodem fere modo descripsisse et Anab. III 4 35 et Cyr. IV 2 28. —

Magnum percensuimus locorum numerum, qui eandem habent iudicandi notam, cupiditatem conparandi atque licentiam. modo huius rei modo illius monemur, saepe levis ac minutae, nonnunquam a Cyro alienae, nec certo et constanter a principio sed subseciva quadam opera et festinanti. planum enim est interpolatorem protinus pergentem legere proniorem ferri ad adnotandum et nihil non admiscendum. quare etiamsi iucundam ad legendum esse Cyropaediam non contendo, sordibus tamen istis nolim obsitam. quas adnotationes esse Börnemannus dixit. quid igitur? ramentane officinae sint?

Neque tamen adeo sparsae iacent ut unius hominis esse nequeant. immo eodem consilio in librum invectae sunt, qui cogitato quodam modo videtur pertractatus esse. quod vix fieri potuit a pluribus spatio admodum brevi. etenim venimus nunc ad eam quaestionem quae est de tempore quo ista adcessio ad librum adlata sit.

Atque epilogum quem vocant cum Xenophonte indignum esse tum ab effectu universae narrationis dissentire, Davidem Schulzium libello, quem de Epilogo Cyrop. Xenophonti abiudicando edidit Hal. Sax. a. 1806, omnibus confido persuasisse quorum sanum est iudicium. scriptum autem sit oportet c. 8 — nam recoxisse Schulzii argumenta non expedit — post mortem

Xenophontis et ante eversum ab Alexandro Persarum imperium. atque X. non defunctus est ante a. 355. perfecto enim bello sociali conpositum esse libellum qui *Πόροι* inscribitur miro quodam argumentationis consensu effecerunt Gleinigerus et Zurborgius amici mei, quorum dissertationes nuper prodierunt altera Hal. Sax. altera Berol. haud cunctanter autem dixerim Cyropaediam talem esse quae scripta sit ante eum libellum, hunc rursus omnium quos traditos habemus esse novissimum. anno enim 355 X. admodum senex fuit et videtur brevi post diem obiisse. quare cum a. 330 Persarum regnum nullum fuerit, quod tamen conruisse nescivit is qui scripsit epilogum, additum eum esse sequitur intra viginti fere aut cum plurimum viginti quinque annos.

Iam perspicuum est additamenta de quibus supra dixi et epilogum, si ad id quod secuntur eorum iudicium dirigimus, tendere in diversum. nam quisquis illa fecit bonos etiamtum esse Persas et antiquis institutis uti censuit, qui epilogum, perquam depravatos et in peius mutatos. velut ille I 2 16. 3 2 laudavit Persas parce ac duriter vitam agentes, obiurgator § 8 duritiam eorum nauci non facit. fieri autem non potuit ut hic in eas ipsas conparationes non inveheretur, utpote quibus permansisse aliquod institutum laudabile testificatum esset. hoc enim ipsum in causa fuit cur ille suam sententiam libro contrariam poneret: tenaces dici Persas morum antiquorum et perseverantes instituta conservare ubique legerat, ergo contra dixit et acriter elatravit. qua in re talis fuit qualem, nisi ea quae supra sunt videremus inpugnari, graece loqui iudicaremus non laborasse. an τὸ δ' ἐκπονεῖν § 8 rectum est? exspectabas aut ἐκπονεῖσθαι aut quod libri duo Schneidero dederunt τὸ δὲ πονεῖν. sed supra videlicet est ἐκπονοῦντες (ἀνήλισκον), cuius ille sono captus erat.

Is igitur qui additamenta interposuit non potuit scribere epilogum: a semet dissedisset. obiurgator autem ea verba quae, ut suam sententiam enodate opponeret, exscripsit, quin Xenophontis essent, nisi me omnia fallunt, non dubitavit. nec minus erravit initio, ubi in finibus regni describendis proxime accessit ad voluntatem eius qui VIII 6 21 de illis nonnulla hario-

latus est: quae verba, cum ita putasset Xenophontis esse ut quae maxime, iterum posuit, quo magis illius auctoritate epilogum tueretur a dubitationibus. neque erat qui facilius in eam opinionem adduceret ut X. apte ordiri ab suis verbis videretur. tertius forsitan sit locus ibidem *οἵ τε ἀρχόμενοι Κῦρον ὡς πατέρα ἐσέβοντο*, si ad VIII 2 9 potius quam ad 1 4 pertinet.

Itaque adparet eum qui epilogum adposuit adnotationes invenisse libro insertas. atque diversos inter se esse falsarios etiam inde consequitur quod oratione utuntur dispari. alter enim etiam in digressionibus ubi scribendi animo indulsit minus copiose loquitur ac paene dixi ieiune Xenophontisque sane similius, in alterius oratione offendimur per totum caput nimis exaggerata. angustius autem temporis spatium quo adnotationes scriptae sint definire nondum contigit, nec de eo quem illas concepisse dicam mihi exploratum est.

Adnotatione extrema Breitenbachius sic fere ut Hertlinus (prooem. ed. Cyr.) additamenta, quibus mansisse instituta docemur, ad speciem quandam legum spectare volt nondum evanidam, non ad ipsas leges Persicas: formam uterque a genere seiungit, eo consilio alter ut obiurgatorem aperiat nequidquam reclamasse, Hertlinus ne X. (nam adulterinum esse negat epilogum) videatur sibi dissentire. circuitu, si vera sunt quae spero me arguisse, abutuntur. nam leges et instituta fieri potuit ut et auctoritate et vi destituerentur, morum autem et consuetudinum, si durasse nuntiantur, ipsa mansit natura. atque tam diversa sunt inter se ea quae perpetuo servata esse audimus, ut quamdiu formam res ipsa aequaverit molestius quam diligentius discreturi simus rem ad verba deflectentes.

Theses.

I.

Xen. Cyr. II 1 30 *Κῦρος ... σκευὴν ... κατεσκευάσατο, ὥστε ἱκανὴν ἔχειν οὓς καλοίη ἐπὶ δεῖπνον* mutari volo in *ἱκανὴν ὥστε*, aut cum Schneidero scribatur *ὡς ἱκανήν*. II 3 4: *καὶ ὁ θεὸς οὕτω πως ἐποίησε τοὺς μὴ θέλοντας ἑαυτοῖς προστάττειν ἐκπονεῖν τἀγαθά· ἄλλους αὐτοῖς ἐπιτακτῆρας δίδωσι.* ita lego: colon erat pone *ἐποίησε*. III 2 23 inverso ordine legendum *ἔδοσαν καὶ ἔλαβον* sicut ubique est. IV 2 27 non *ἐκ τούτου δὲ* sed *δὴ* sententiae aptum est. VII 5 32: *πολλὰ δακρύοντες ἅμα χαρᾷ [καὶ εὐφραινόμενοι]*: cf. Hell. VII 2 9 (et 1 32). IV 6 11 et VIII 2 12 *οὕτω δή*, VII 5 40 *οὕτως δὴ* (coll. V 3 1) scribere necesse est.

II.

Xen. Comm. I 2 49: *ἀλλὰ Σωκράτης γ', ἔφη ὁ κατήγορος, τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε, πείθων μὲν τοὺς συνόντας ἑαυτῷ σοφωτέρους ποιεῖν τῶν πατέρων, φάσκων δὲ κατὰ νόμον ἐξεῖναι παρανοίας ἑλόντι καὶ τὸν πατέρα δῆσαι κτἑ. πείθων* cum accusativo duplici construi nequit: lego *πειρῶν*. activum genus est paullo ante § 29.

III.

Xen. Anab. I 2 8 *ἐνταῦθα λέγεται Ἀπόλλων ἐκδεῖραι Μαρσύαν νικήσας ἐρίζοντά οἱ περὶ σοφίας καὶ τὸ δέρμα κρεμάσαι ἐν τῷ ἄντρῳ, ὅθεν αἱ πηγαί· διὰ δὲ τοῦτο ὁ ποταμὸς καλεῖται Μαρσύας. ἐνταῦθα Ξέρξης, ὅτε ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ ἀπεχώρει, λέγεται οἰκοδομῆσαι ταῦτά τε τὰ βασίλεια καὶ τὴν Κελαινῶν ἀκρόπολιν*, § 13 *ἐφ' ᾗ λέγεται Μίδας τὸν Σάτυρον θηρεῦσαι οἴνῳ κεράσας αὐτήν*, III 4 8 *ταύτην — οὕτως ἑάλω* et § 11 sq. *ἐνταῦθα — οὕτως ἑάλω* in margine fuerunt adscripta

ab homine doctiusculo, et VI 4 2, ubi Xenophon narrat se ad *Κάλπης λιμένος* litora amoena oppidum condere voluisse, ea quae leguntur § 2 *καὶ οὓς ἂν λάβωσι τῶν Ἑλλήνων ἐκπίπτοντας ἢ ἄλλως πως δεινὰ ὑβρίζειν λέγονται τοὺς Ἕλληνας* ab lectore aliquo repetita sunt ex VII 5 12 sq.

IV.

Ex Varronis verbis, quae apud grammaticos inveniuntur, non efficitur Plautum fabularum actus disposuisse.

V.

Nemo alius linguae magister nisi qui vernaculae naturam et historiam doctus sit.

VI.

Constructio dativi absoluti, quam Heyne (edit. Ulfil.) statuit esse in lingua gotica, non est absoluta.

VII.

In carmine quod inscribitur Petrus und die Samariterin (Müllenhoffii et Schereri Monum. n. X) v. 28 malim legi Hêrro, in dir *uuirdit* schîn quam *uuigic.* in libro ms. est uuigit.

VIII.

Carminis Friderici de Husen quod est in Des Minnesangs Frühling (ed. Lachmann et Haupt) p. 45, 37 sqq. versus primi sic leguntur:

Si darf mich des zîhen niet,
ichn hete si von herzen liep.
des mohte si die wârheit an mir sehen,
und wil sis jehen.

Interpunctione mutata librum Wingartensem secutus ita scribo:

des mohte si die wârheit an mir sehen
und, wil si, es jehen.

Elisionis et certa et multa sunt exempla cum apud Fridericum tum apud Reinmarum.

Vita.

Carolus Fridericus Augustus Lincke natus sum Buttstadiae prope Vimariam die V m. Mart. a. h. s. XXXXVIIII patre Augusto, qui superintendentis et primi praedicantis munere fungitur Ilmenaviae Thuringorum, matre Thekla e gente Kaiserana, quae a. h. s. LIIII vita concessit. fidem profiteor Lutheri evangelicam. duodecim annos natus, cum primis litterarum elementis a patre, mox Keilhavii prope Rudolstadiam imbutus essem, gymnasium adii Vimariense quod floret directore Rassovio. H. Weber et O. Heine primi incitarunt ut studia colerem. a. h. s. LXVIII maturitatis testimonio instructus Jenam me contuli ubi militarem. scholas autem cum otium concedebatur frequentavi Nipperdei Schleicheri Gädechensii Fischeri. anno post Lipsiam migravi et audivi Ritschelium Curtium Zarnckium Hildebrandum Drobischium Overbeckium et qui nimis mature Erlangam abiit A. Schoenium. intermissa bello cui per annum interfui studia recepi Lipsiae. a. h. s. LXXII Berolinum veni ubi per quater sex menses audivi Hauptium Kirchhoffium Bonitzium Mommsenum Hübnerum Müllenhoffium Droysenum Zellerum. ad societates graecam Kirchhoffius, Aristotelicam Bonitzius, theotiscam Müllenhoffius aditum benigne permiserunt. his viris illustrissimis omnibus debitas hic gratias ago.

Jenae, typis Friderici Frommanni.